


CAPVT XIX.
ANALECTA VARIA.

Vasculum Dresselianum.

8743



love sat¹ deivos qoi med mitad nei ted endo cosmis virco sied asted
noisi ope toitiesiai pacari vois. — Duenos med feced en manom einom
dzenoine² med maao³ statod.

Vasculum argillaceum triplex (ex tribus doliolis conglutinatum), Romae rep. inter Quirinalem et Viminalem, sed plane incertum num loco antiquo, in quo stilo exarati versus duo vel tres litteris antiquissimis (H. Dressel, qui indagavit et sibi comparavit primus edidit adiutus a Buechelero ann. inst. arch. 1880 p. 158 tab. L). Tractaverunt Buecheler mus. Rhen. 56, 1881 p. 253 seq.; Jordan Herm. 46, 1881 p. 225 seq., deinde multi alii, plerosque enumeratos habes CIL. 1 ed. 2 p. 371. Lectio plerumque certa (sed cf. not. 3), nisi quod propter scripturam continuam neque ullis punctis vel spatiis distinctam distributio vocabulorum in coniectura posita est; sic ut supra dedi vocabula distinxit Buecheler. — 1) Inter love et sat lineola interposita est, quae fortasse dirimere debebat inter duo vocabula, certe non videtur habenda esse pro littera i. — 2) z postea inserta. — 3) Errore ut videtur pro máno, et videtur scriptor errorem corrigere voluisse.